



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

17 Regulares ad publicas processiones accedere tenentur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

stitui possit, ipso facto similiter incurren-
dis pœnis ipsum regularem delinquentem
à loco, ad quem transmissus fuit, revoca-
re, & ad illum, in quo deliquit restituere,
seu sistere teneri voluit, quòd si hoc etiam
facere prætermiserit, Ordinarius loci ad
quem regularis delinquens transmissus
fuerit, super premissis ab ipso Ordinario
loci, in quo delinquit, similiter requisitus,
vel aliàs de illius delicto informatus, tan-
quam Sedis Apostolicæ delegatus, præ-
di. cõc. decretum omnino exequi, & in re-
gularem delinquentem severe animadver-
tere potest, & debet, *ut in constitutione, sub-
dat. Romæ 7. kal. Martij. Anno. ab Incar.
Domini. 1595.*

Nec possunt † Regulares à suis conven-
tibus recedere, etiam prætextu ad superio-
res suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut
vocati fuerint, & si qui sine licentia in scri-
ptis obtenta reperti fuerint, ab Ordinariis
locorum, tanquam desertores sui instituti,
sunt puniendi. Illi autem, qui studiorum
causa ad Universitates mittuntur, in con-
ventibus tantum habitare possunt, alio-
quin ab eisdem Ordinarijs contra eos est
procedendum. Conc. Trid. in cap. 4. §. *ne
liceat. de Regular. & Monial. sess. 25. †* Ne-
que sine sui superioris licentia prædicatio-
nis, vel lectionis, aut cujusvis pij operis
prætextu, subjicere se obsequio alicujus
Prælati, Principis, vel Universitatis, seu
Communitatis, aut alterius cujuscumque
personæ, vel loci, neque ei aliquod privi-
legium, aut facultas ab alijs super ijs obten-
ta suffragari valet: si verò contrafecerint,
tanquam inobedientes, arbitrio superioris
sunt puniendi, & Ordinarij eorundem su-
periorum negligentiam supplere possunt,
sap. quanto, de off. ord. Cle. 1. §. quia verò, de

stat. mon. & Conc. Trid. eod. cap. 4.

Regulares, & exempti, † etiam monachi,
ad publicas processiones omnes accedere
compelluntur, ijs tantum exceptis, qui in stri-
ctiori clausura perpetuò vivunt, & contro-
versias omnes de præcedentia, † quæ per-
sæpe maximo cum scandalo oriuntur inter
ecclesiasticas personas, tam seculares,
quàm regulares, cum in dictis processio-
nibus publicis, tum in ijs, quæ sunt in tu-
mulandis defunctorum corporibus, & in
deferenda umbella, ac alijs similibus, Epi-
scopus, amota omni appellacione, & non
obstantibus quibuscumque componere
debet, Conc. Trid. cap. 13. *de regul. ea sess.
25.* quæ compositio brevi manu, summa-
rie, & de plano, ac sine strepitu, & figura
judicij, debet expediri, ut declaravit sacra
congregatio Concilii. *in decis. manuscrip. su-
per eo. cap. factis in verbo, componat.* & illa di-
ctio, exempti omnes, non comprehendit
eos, qui sunt nullius diocœsis, vel extra ci-
vitatem in locis, in quibus habent plebem,
quia cum illa plebe debent facere profes-
sionem, neque laicorum confraternitates,
quæ possunt quidem ab Episcopis invitari,
sed non, ut accedant, compelli, ut ibi in
verbo, exempti, & in ver. quam regulares.
Tenentur autem ad omnes, & quascun-
que processiones publicas, & consuetas,
vel indictas pro bono publico, vel hono-
re: non tamen compelli possunt prædicti
regulares exempti accedere ad ecclesias ex-
tra propria monasteria pro celebratione
orationis quadraginta horarum, sed con-
gregatio censuit illos, quando toti populo
dicta oratio indicitur, in proprijs ecclesijs
hujusmodi orationi vacare debere, ut ibi
in decis. super eod. cap. in ver. vocati. &
compelli possunt compellendi per censu-